



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

3 Declaratio secundi Puncti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

510 INSTRVCT. DE MODO
PVNCTVM II.

*Postulare à Deo lumen & gratiam
ad cognoscenda fugiendaq;
peccata.*

PECCATVM simile est sepia, vel loligini,
sicut enim hi pisces, quando vident ap-
propinquare piscem grandiore, liquore
atro repente imbuunt aquas, ne videri,
ac proinde nec deuorari ab illo possint: sic
peccatum, simulatque perpetratum est,
animam quadam atra caligine inuoluit,
vt agnosci non possit. Vnde Dauid dice-
psal. 18. bat. *Delicta quis intelligit? q d. nemo.*
Quam doctrinam propheta tam consen-
taneam veritati putauit, vt subiiceret. *Et
ab occultis meis munda me.* Supponens mul-
ta occulta restare, quæ non obseruat, &
ideo rogabat, vt illa sibi condonarentur.
Immo id ita exploratum & certum est ma-
ximè apud incipientes, vt probare opus
non sit hoc esse credibile. Quilibet enim
re ipsa experitur difficultatem, vnde omnes
dicimus. Peccatorum affatim in me est, sed
non possum omnia cognoscere. Petitur er-
go lumen diuinum. Quemadmodum enim
face illata in cubiculum obscurum, omnia
que

MEDITANDI PARS II. 311

quæ in eo sunt se offerunt spectanda, sic quando lux cœlestis immissa est in animæ nostræ penetralia, conspicua redduntur. omnia eius mala. Quanquam verum est nos istam spirituales animæ visionem haud secus comparare quam naturalem corporis, quando quis interdum locum aliquem conclusum ingreditur. Etenim sicut in primo ingressu nihil videt, sed si non nihil hæreat, primum videt quæque grandiora, ut lectos, mensas, & inde minora, ut sedes, orbes, cultros, ac quo diutius hæserit plura etiam minima, sic quo crebrius usurpamus examen conscientia, & diutius in eo inchoato cunctamur, hoc plura peccata deprehendimus. Exemplum habemus B. Augustini qui huius examinis beneficio detexit etiam minutissima, ut in sequentibus capitibus apparebit. Nullus ergo, multo minus autem tyro, ad primum oculorum mentis coniectum dicere debet. Nihil video, ergo nihil est. Sicut enim ille si ad primum ingressum loci obscuri dixisset, nihil ibi esse, fuisset deceptus, sic nobis quoque usu venit cum nostra Conscientia.

Adiungitur deinde postulatio gratia ad fugienda peccata. Neque enim satis est
tantam

tantam habere notitiam peccatorum, imò
 etiam habere voluntatem non ea commit-
 tēdi, vt de se testatur Apostolus Paulus dum
 Rom. 7. ait. *Non quod volo bonū, hoc facio.* Sed neces-
 sarium est diuina gratia esse munitos, sine
 qua nihil possumus. *Sine me,* inquit Christus
 Ioa 15. apud B Ioannem, *nihil potestis facere.* Ex alia
 verò parte diuina gratia iam ornatus quis-
 que dicere potest cum eodem Paulo. *Omnia*
 Eph. 4. *possum in eo, qui me confortat.* Iam cum & S.
 Iacobus exhortetur nos, vt petamus, adiun-
 cta sponſione de obtinenda gratia. *Si quis,*
 Iac. 1. *inquiens, indiget sapientia, postulet à Deo, qui*
dat omnibus affluentier, restat vt confidenter
 id faciamus, vnde & idem subdit. *Postulet*
astem in fide, nihil hasitans in corde suo.

PUNCTVM III.

*Expendere, quemadmodum cogitatio-
 ne, locutione, opere & omissione
 peccatum sit.*

*De Distinctionibus iuuantibus ad Examen
 rectè faciendum.*

C A P. IV.

IM BECILLITAS visus nostri spiritualis
 ex vna parte, ex altera verò cordis nostri
 hebet.